

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Jacob Döbel Bernhard Barnstorff

**Disputatio Medica Inauguralis De Morbo Virgineo Seu Foedis Virginum Coloribus**

Rostochii: Kilius, 1670

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730122646>

Druck Freier  Zugang



R U. med. 1670.

Johann Jacob Döbel Praes.

Bernhard Barnstorff Rapp



LIBRO MEDICA  
GURALIS  
DE  
**VIRGINEO**  
SEU  
**NUM COLORIBUS,**

Quam  
DEO Opt. Max.  
re Amplissimi Collegii Medici,  
ad Varnum Academia,

PRÆSIDIO

LLENTISSIMI, AC EXPERIENTISSIMI

**NNIS JACOBI**  
**BELII,**

Sororis Public. celeberrimi, Poliatri  
tatis Medicæ DECANI spectabilis,  
oris, ac Præceptoris ævitemnum  
evidētā, venerāndi,

**LICENTIA**

a Honores, Insignia & Privilegia  
ia ritè consequendi,

Eruditorum examini sifit

**S BARNSTORFF,**  
stochiensis.

r. Horis ante & post meridianis  
**TORIO MAJORI.**

**STOCCHII,**  
II, Universit. Typogr. Anno 1670.

3



DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**MORBO VIRGINEO**  
SEU  
**FOEDIS VIRGINUM COLORIBUS,**

Quam  
Favente DÉO Opt. Max.  
Ex Decreto & Autoritate Amplissimi Collegii Medici,  
In Celeberrima ad Varnum Academia,  
SUB PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI, AC EXPERIENTISSIMI  
**DN. JOHANNIS JACOBI**  
**DÖBELII,**

Medic. Doctoris & Professoris Public. celeberrimi, Poliatri  
meritissimi, & p. t. Facultatis Medicæ DECANI spectabilis,  
Dn. Patroni, Promotoris, ac Præceptoris ævitemnum  
devenerandi,

**PRO LICENTIA**

Summos in Arte Medica Honores, Insignia & Privilegia  
Doctoralia ritè consequendi,

Publico decentiqt; Eruditorum examini sistit

**BERNHARDUS BARNSTORFF,**  
Rostochiensis.


Ad Diem 15. Septembr. Horis ante & post meridianis  
IN AUDITORIO MAIORI.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr. Anno 1670.

3

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock



I. N. I.  
DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
MORBO VIRGINEO.  
PRÆLOQVIUM.



Apientiæ VII. 3. Ubi generatio hominis quam optime describitur, inter alia sequentia habentur verba : *Natus, primam vocem, similem omnibus, emisit plorans. Homo quamprimum, disruptis uteri claustris, in lucem prodit, statim* salutat, primo humanitatis argumento, vagitu ac lacrymis, idq; non sine causa. In peccatis enim cum sit conceptus, Psal. LI, 7. eadem etiam, quam diu in vivorum numero existit, indies multiplicet : peccata autem mereantur pœnam ; hinc Infans lacrymis suis, quæ nil nisi testes & præcones miseriarum calamitatumq; sunt, proph-

tizat de futuro : se scil. non minus , ac ante eum existentes,  
in mœrore, timore, labore, dolore visturum. *Magnum*  
*namq; inquit Syracides, cap. XL. 1, negotium cuig; hominum*  
*destinatum, & grave jugum posteris Adami, iam inde à die,* à  
*quo ex utero matris exierunt usq; ad eum, quo ad communem*  
*omnium matrem revertuntur.* Atq; hoc ipsum, (ut alias  
taceam calamitates,) vel ex innumeris illis morborum nu-  
meris, corpus humanum tot modis divexantibus, imo  
crucentibus verum appetit. Ab infantia enim sua ad se-  
nectutem usq;, per omnem ætatem, illud est obnoxium  
morbis, ut proinde non immerito, testante Medicorum  
Principe Hippocrate, in Epistola ad Damagetum num: 279.  
exclamaverit Democritus : ὁλῷ ἀνθρωπῷ εἰ γενῆς  
τοσοῦτοι εἰσὶν. *Totus homo ex nativitate morbus est.* Quapropter  
nemo non, hunc hominis statum penitus secum reputans,  
cum infantibus, gemitibus atq; lacrymis eundem deplorare  
necessus habet ; in primis vero sexus fœminini. Præter-  
quam enim, quod plerisque virorum morbis subjiciatur, iisque,  
quoniam debilior, ut & frigidior existit, frequentius  
corripiatur : tamen, ratione partium generationi inservientium,  
aliis insuper, iisque saevissimis divexatur symptomatis  
& morbis, quorum immanitatem verbis fatis ex-  
primere nequeo. Hosce inter affectus, quibus sequitur  
sexus, hac in miseriarum valle, misere torquetur, cum  
non insimum obtineat locum, qui haud raro illibatarum  
Virginum, (ut quarum summum studium summaq; cura  
est, pulchritudinem, ipsis à Deo concessam, omnibus  
modis vel defendere, vel fucis etiam interdum augere,) aniabilem  
pulchritudinem & formam haut raro maximo  
cum famæ ac honoris periculo defodare, inq; minimè  
acceptam spurcitiem mutare solet, & vulgo Febris alba  
seu Fœdus virginum color dicitur ; dignum judicavi, ut  
autori-

Autoritate & beneplacito Amplissimi Collegii Medici, de  
hoc gravissimo, multisq; satellitibus stipato affectu Dispu-  
tationem quandam Inauguralem conscriberem. Tu  
verò summe Deus, cui ab ineunte ætate omnia mea studia  
unicè commendavi, hisce meis conatibus faveas, ut ce-  
dant in Altissimi Tui Nominis gloriam, ægrotorum salu-  
tem, propriumq; commodum & utilitatem!

C A P U T I.  
DE  
DEFINITIONE NOMINALI.

§. I.

**R**Em feliciter à primo, quod ajunt, ut ordiamur ovo,  
statim de Definitione sollicitos non esse decet.  
*Omnis enim, ut serio pronunciat Eloquentia Pa-*  
rens Cicero lib. i. de off. *qua à ratione suscipitur de-*  
*aliqua re institutio, debet à Definitione profici/ci, ut intelligatur,*  
*quid sit id, de quo disputetur.* Definitio autem cum alia sit  
nominalis alia realis: Nos nominalem reali præmissam,  
quam paucissimis, siquidem animus nobis non est discur-  
sus verbales, sed reales facere, sumus proposituri.

§. II. Quanquam præsens malum propriâ ac ge-  
nuinâ destituantur nomenclatura; tamen pro diverso  
considerandi modo, variis, à variis, insignitur titulis. A-  
liis enim affectarum virginum colorem è pallido virescen-  
tem considerantibus, appellatur *χλώρωσις*, *χλώρασμα* à  
voce *χλώρη* qua Hippocrati pallorem & viriditatem de-  
notat, uti videre est II. Prædict. XXXIX. §. VI. Epid. II.  
27. I. de Morb. Mulier. XL. 4. XLIII. 1. LI. 1. & 3. & mul-  
tis aliis in locis, vid. etiam Galenus in Lexic. Hipp. ut &

**Gorræus in Defin. Medic.** Aliis intuentibus afflictarum corpora, quatenus speciem febricitantium, colore pallido, virium debilitate, pulsusq; frequentia, præ se ferunt, quamvis febris admodum raro coincidat, dicitur *Febris*, & quidem *alba*, ad imitationem Hippocratis, qui VI. Epid. sect. I. 52. febres inter se coloribus differre scribit: *alia enim, inquit, rubicunda valde, alia valde pallide, alia livide sunt.* Aliis, secundū vulgatum Ovidii versiculum, *Palleat omnis amans, color hic est aptus amanti;* tum etiam, quod, hoc malo laborantes virginēs, in ea sint constitutæ ætate, ut amare, virumq; appetere incipient, secum ponderantibus, *Febris Amatoria*, ut & *Virginea*, quia iis familiaris admodum, appellitari placet. Aliis, cum Jetero seu flavo seu nigro, affectū conferentibus, *Jeterus, sive Jeterita alba vocatur.* Aliis simpliciter *Pallor Virginum:* Aliis deniq; *Cachexia*, & in specie *Leucophlegmatia virginum audit.* Germanis dicitur *die bleiche Sucht/ die Missfarbe/ die Farbe-Sucht/ die weiße Jungfern Krankheit/ das weiße Jungfern Fieber.*

§. III. Nobis verò cum Roderico à Castro, Sennerto, Langio, Jonstono, Sebitzio &c. 1. receptissimo inscribitur titulo *Morbi Virginis.* Non, ac si hic affectus virginibus sit proprius, nullisq; aliis competit: sed quia virginibus maturis nubibusq; sit magis familiaris, longeq; frequentius eas corripiat, quàm maritatas ac viduas. 2. cum pallidus, virescens, & lividus hoc in affectu color corpori viventi fœditatem aliquam inducat, insignitur nomine *Fædi virginum coloris* quem fœdum colorem pleriq; uno vocabulo *χλωρίσεως* exprimunt.

§. IV. Sed ne ambiguitas quædam lateat in vocabulis, & eam eximamus. Per Morbum virginum itaq; hic non intelligimus quemcunque in corpore virginico ni-

neo nidulantem morbum, ut sunt v. g. odontalgia, debilitas ventriculi, similesque utriusque sexui communes morbi, qui, quatenus corpus infestant virginem, possunt nominari morbi virginis: nec intelligimus Melancholię virginum, uteri strangulatum, Epilepsiam ex utero &c. qui generaliter ab Authoribus Morbi virginis, quatenus iis frequenter accidunt, vocantur. Sed, ut statim adjecimus, Fœdos (cum pallore scilicet virescentes ac lividos) virginum colores, per quos iterum non quasvis fœdas decolorationes fugaces ac momentaneas, sed continuas ad aliquod tempus, imo diuturnas intellectas volumus. Et hæc de Definitione nominali dixisse sufficient.

## CAPUT II. DE

### DEFINITIONE REALI, ET SYMPTOMATIBUS, HUNC AF- FECTUM COMITANTIBUS.

§. I. His, quoad ὀνοματολογίαν, seu Definitionem nominalem, prælibatis, subjungimus Definitionem Realem: in quâ verâ & perfectâ proferendâ, causarum & affectuum, hic concurrentium multitudo, multas parit difficultates, quas authorum, hâc de materiâ aliquid consignantium, in constituendo genere, diversitas adhuc difficiliores reddit. Hic enim reperies, qui affectum hunc, ut morbum strictè sic dictum considerantes, per intemperiem corporis frigidam describant. Hic audies, qui causam daturi definitionem, per obstructionem vasorum circa uterum definiant. Hic leges, qui ad symptomata depravatæ nutritionis, tanquam speciem cachexiæ referant. hic in-

Hic invenies, qui ad symptomata mutatarum qualitatum commode referri posse statuant. Breviter: hic experieris quot capita, tot sensus.

§. II. Nos quemlibet hic suo sensu abundare permittentes, sequentem suppeditamus Definitionem, seu rectius Descriptionem. Morbus Virgineus est coloris naturalis in toto corpore, & imprimis facie, in pallidum, & ex pallido, virescentem lividumq; mutatio, ex humorum pituitosorum, aliaq; qualitate peccantium multitudine, à vasorum circa uterum obstructione seu angustia, proveniens.

§. III. Generis loco posuimus mutationem coloris naturalis. Hanc ad tertiam rerum præternaturalium classem, symptomata scil. referri debere, cuivis, qui non plane hospes ac peregrinus in Medicorum institutis est, liquet. Ipsa namq; Definitio symptomatis, quod nempe sit affectus præternaturalis, qui morbis supervenit, eosq; tanquam umbra corpus, sequitur, ut habet Galen. diff. sympt. c. i. quam optimie nostro affectui convenit. Symptomata autem cum non sint unius generis, sed vel actionis læsæ, vel qualitatum mutatarum, vel excretorum & retentorum, præsentem affectum ad qualitates mutatas referri debere, nemo non videt.

§. IV. Formalem rationem dant sequentia Descriptionis nostræ verba: quod scil. coloris naturalis ac floridi mutatio fiat in pallidum, & ex pallido in virescentem lividumq;. Qua ratione differt ab Jētero tām flavo quām nigro, in quibus etiam mutatio coloris appetet; ast non in pallidum &c. Sed in flavum & nigrum. Peti quoque potest formalis ratio à causis, quod morbus virgineus pro causa, ordine generationis prima, semper agnoscat obstructionem vel angustiam vasorum circa uterum, hinc mensium suppress.

suppressionem vel imminutionem. Quia ratione differt  
à cachexia simplici, quæ absque tali obstructione oriri  
potest.

§. V. Cum Symptomata, affectus comitantia,  
multum faciant, tūm ad cognitionem meliorem ipsius  
morbi, tum etiam ad curationē ejus distinctionem ab aliis:  
placuit nobis symptomata, in hoc affectu communiter ob-  
servari solita, in antecessum recensere. Sunt autem illa,  
præter mutationem coloris naturalis, universi corporis  
& crurum præsentim. Lassitudo : totius Corporis  
mollities, laxitas, & frigiditas: Faciei, crurum & pedum.  
præcipue circa malleolos intumescencia, & inflatio: dolo-  
res in Ventre & in primis Hypochondrio tam dextro quam  
sinistro varii, cum murmure & rugitu conjuncti: fastidi-  
um ciborum: Pica seu rerum insuetarum appetitus:  
Cardialgia cum gravitatis ac distensionis sensu circa regio-  
nem ventriculi: Nausea: Eructatio halituum acidorum  
& austeriorum: Vomitus pituitosæ materiæ: Obstructio-  
nes viscerum: Respirandi difficultas, quæ augetur, quo-  
ties corpus moveret in primis concitatius, & sub ascessu:  
Palpitatio cordis, Arteriarum pulsus parvus & frequens:  
Febris inordinata & erratica: Animi deliquium: Dolo-  
res in lumbis & partibus utero vicinis, menstrua purgatio-  
ne instantे: Suppressio menstruorum fluxus: Alvi adstri-  
ctio: Urina cruda, aquæa, raro crassa turbidave: Capitis  
dolor gravatus: Somnus profundus, & continua ad so-  
mnum propensiæ, quem tamen ob dolores capitis capere  
vix possunt.

§. VI. Præcipua hic recensuimus symptomata,,  
quemadmodum & à præcipuis Autoribus annotata legi-  
mus, & ipsi in tribus diversis puellis, unaque vidua, hoc af-  
fectu laborantibus, observavimus. Notandum vero, non

omnia in omnibus eodem modo reperiri, sed alia in his, alia in aliis, & nunc plura, nunc pauciora, nunc graviora, nunc leviora, pro individuorum diversitate, humorum constitutione varia, variisque partibus, quæ afficiuntur.

### CAPUT III. DE SUBJECTO.

§. I. Postquam jam ipsam definitionem, & prima-  
ria in hoc affectu symptomata observabilia consideravi-  
mus, ordo requirere videtur, ut causas tam proximas,  
quam remotas, ex iis, concatenata ratione deducamus. Ve-  
rum antequam illas aggrediamur, Subjectum hujus af-  
fectus, à quo, tanquam fonte & scaturagine, omnia hæc mala  
in universum derivantur corpus, in antecessum demon-  
strare, haut inconsultum judicamus, siquidem secundum  
Galenum l. i. de loc. Affect. cap. i. multum refert, locos af-  
fectos cognoscere, namque pro locorum differentia, curan-  
di ratio quoque differt.

§. II. Subjectum minus principale constituimus  
totum corporis habitum, & præprimis faciem. In toto e-  
nim corpore tèrèrimus ille pituitæ que analogus hospita-  
tur color, qui se nullibi citius, quam in facie, aëri & visui  
præ aliis omnibus partibus exposita, cutoque insuper te-  
nuiore & molliore investita, prodit. Ubi notandum: nos,  
per totum corporis habitum, hic intelligere partes, quæ  
primo oculis incurrint, cutem nempe cum instrata cuti-  
cula, et si internas non plane excludamus, siquidem hoc  
morbo laborantium virginum linguam, gingivas, & totam  
oris cavitatem ex rubro in pallidum & lividum colorem  
muta-

mutatas vidimus. Unde etiam reliquos musculos atque viscera, si non æqualiter, aliquo modo saltem mutata esse, quamvis asseverare non audeamus, tamen colligimus atque credimus, donec forte felix quædam experientia melius edoceat.

§. III. Subjectum vero Principale, sine cuius cognitione, neq; causæ satis intelligi, neq; præsidia accommodata debitè adhiberi & præscribi possunt, est Uterus: quod ex antecedente menstruorum fluxus suppressione abundè patet. Debet quidem naturaliter, omnes ad partes propulsus per arterias sanguis, redire per venas ad cor, nullus autem excerni: ast in fœminis, quibus à pubertate ad principia usq; senectutis, quamdiu fœcundæ sunt, singulis mensibus, nisi uterum gerant, naturaliter evacuari quædam portio sanguinis per uterus debet, si non excernatur, sed menstruus ille fluxus vel deficiat vel parcus fluat, vel plane supprimatur, infinita excitantur symptoma, uti id ipsum testatur Aphoristes V. Aph. 57.

§. IV. Omissis autem plurimis in uteri fabricæ observandis partibus, illas saltem recensemus, quæ faciunt ad nostrum propositum, hoc est, dicemus de vasis: Arteriis puta, & Venis uterinis, in hoc nostro affectu, secundum plerorumq; autorum sententiam affectis. Habet verò uterus in utroq; latere vasa sanguinua quamplurima, quæ omnia ortum trahunt, partim à præparantibus vulgo dictis vasibus, hæc enim non tota feruntur ad testes, sed portio illorum magna ad fundum uteri, portio ad tubas pergit: partim ab hypogastricis ramis, qui uteri cervici & fundo plurimos concedunt surculos. Sunt autem Arteriæ, in utero, multo quam venæ numerosiores, uti observavit Cl. Harvæus Exercit' 65, de Generat. animal. Mihiq; Excell. D. Johan. van Horne' Anatom. & Chirurg. in Academia Lugdu-

no Batava Prof. Publ. celeberrimus, Præceptor meus singulari honoris & amoris cultu devenerandus, in puella quadam Anno 1669. die 5. Martii publice dissecata, demonstravit. Notabilis quoq; est anastomosis arteriæ spermaticaæ descendenteris, & arteriæ hypogastricæ per latera colli ascenderentis, quæ, dum ascendit, serpentino ductu est inflexa, arcteq; vaginæ uteri lateribus agglutinata. Unde decepit multos post Laurentium, qui lib. VII. cap. 9. Hist. Anat. existimat, hunc esse meatum, per quem seminis materia, in gravidis, ad collum profunditur. vid. Van. Horne in Prodromo suarum, circa partes generationis in utroq; sexu, observationum.

§. V. Per hæc jam recensita vasa, arterias & venas uterinas, sanguinem, qui singulis mensibus, in justæ ætatis ac conditionis foemini excernitur, expurgari, Veterum est opinio: A quâ non facile discederemus, nisi circulatio seu circuitus sanguinis, tubuli vasorum in uteri cavitatem penetrantes, venarumq; valvulae, hoc officium solum arteriis, nequaquam venis, tribuendum suaderent, & quidem. 1. Quod Circuitum sanguinis concernit: docet ille, per arterias omnem sanguinem, à centro seu corde, ad peripheriam sive totum corporis habitum, omnesq; partes, propelli: Per venas verò, à partibus iterum ad cor reduci. Quod & in hisce circa uterum vasis locum habere, experimento probabimus. Sume canem fæminam vivam, infimum ejus ventrem aperi, venas uterinas liga, & videbis ligatas venas, uterum versus maximè intumescere, versus cor verò detumescere. Fac & idem in arteriis, & contrario modo se habere experieris. 2. Ad Canales sive tubulos in uteri substantiam exsculptos quod attinet, inquit Riolanus in Animadv. ad Bauhin. p. 123. Sanguinem à partibus infernis, juxta veram cervicem, in partes

super-

superiores distribui, per canales & tubulos intra uteri substantiam exsculptos, quod & Bartolinus affirmat. Verum tubuli isti quid sint, omnes Cl. vander Linden, Medic. Phys. c.7.art.10. §.105 inquit, disceptant: nemo dicit. Ratio me, addit, dubitare non sinit, esse querundam vasorum ad collum uteri pertinenter propagines. Ratio est, quod nusquam natura sanguinem, nisi in propriis conceptaculis, venis arteriis vebat. Ac propterea nego dubito, primò, Arterias esse, secundo, arteriarum extrema esse, qua usque ad internam superficiem penetrant, et ibi biantia faciunt, ut admodum foraminulentus interior uterus videatur, in primis tunc cum menstruus sanguis vel ipse vel ibit. Hanc Lindani rationationem experimento quodam, non ita pridem a me facto, verificabimus. Canis prægnantis ventrem & uteri alterum cornu dissecuimus, alterum foenum cum involucris, secundinis suis, ab utero separavimus, tuncque; beneficio siphonis tubulati, spiritum urinæ coloratum in arteriam quandam ad uteri cornua tendentem, maximèque; visibilem immisimus, cuius pars aliqua, & quidem magna, in venas migrabat; pars vero per ipsam foraminulenta uteri substantiam, & cotyledones, in cavitatem ejus extillabat. Idem & cum venâ quadam uterina tentavimus, sed ne guttam quidem, vel in arteriam, vel uteri cavitatem, adigere potuimus. 3. Quod ad valvulas venarum. Quandoquidem, ut modo asservimus, liquori in venam injecto, nullus concedebatur transitus, vel in arteriam vel uteri cavitatem: hinc cum Cl. Lindan o l.c. quærerem, quid obstet liquori, quo minime venis in arterias transire queat? an valvulae? & Responderem cum eodem, hoc mihi verosimillimum esse. Si ergo valvulae: utique; & eandem, cum reliquis venarum valvulis, structuram & positaram habebunt, eruntque; versus cor patulae, versus uterum, vero clausæ.

§. VI. Ut i vero ex hisce jam adductis Experimentis ac Rationibus, Autoritate suffultis, quilibet, sanguinem menstruum per arterias tantum, non venas expurgari, colligere potest, ita ex iisdem, ut in viam revertamur, & solas arterias, in suppressione mensium, nostroq; affectu, primario affectas judicamus. Venæ enim si obstruantur, nisi arteriarum obstructio simul concurrat, menses minimè retinere, circuitum verò sanguinis impedire possunt. Reliquas verò partes, uti sunt caput, pulmo, cor, ventriculus &c. quæ nullo alio modo hic afficiuntur, quam quatenus à sanguine, propter menses retentos, eiq; iterum permistos, vitiato, ad functiones suas depravate obeundas disponuntur, secundarii subjecti vices sustinere sentimus.

## CAPUT IV. DE CAUSA PRIMA, ET IMMEDIA- TA SEU PROXIMA.

§. I. Vera causarum enodatio, quantum faciat ad morbi cognitionem, jam olim Hippocrates demonstravit, quandoi. de Morb. Mul. LXXXVII. 45. scribit : οὐ τατοὶ ἀμερτάνοντι σοι ἀτρεκέως πυνθανόμενοι τὴν τρόφασιν τῆς νόσου. Medicus peccare non exactè causam morbi percunctan-tes. Quo enim perfectius & accuratius Medicus morbi causam cognoscit, eo felicius, tutius, ac jucundius me-dicamenta, morbo & causæ morbificæ contraria, applicare potest. οὐ γὰρ, inquit Hippocr. lib. de Flat. II. 4. τις ἐιδέντι τὴν ἀιτίην Εγεγήματο εἰδεῖ τὸν εἶη τροφέρειν τὰ ξυμφέροντα τῶν ὡς τῷ σώματι, σκητῶν ἐναντίων ἐπισάμενος τὰ ιγενή.

**ratione** Si quis causas corporis affecti probet cognoverit, potens est validè, ea adferre, quæ corpori commodent, nimirum contraria corporibus morborum natura perspecta. Quapropter & nos, Præceptoris nostri præceptum observantes, rectissimè de causis solliciti erimus.

§. II. Causam verò ordine generationis, pro ut rectè loquitur Sennertus, Prax. I. 4. p. 2. f. 3. c. 2. Primam cum eodem facimus Mensium suppressionem, seu impediam sanguinis menstrui evacuationem, à vasorum circa uterum p. n. obstructione vel angustia factam. Sagax namque ac provida natura, quæ in superfluis non abundat, nec in necessariis deficit, ut dicit Philosophus, cum inspiceret, sanguinis in sexu muliebri plus elaborari, quam ad nutritionem ejus requireretur, vacuationem quandam, tanquam naturale remedium, instituit, quo per certas periodos singulis mensibus, per vasa uterina ipsumq; uterum, superfluum hunc sanguinem mulieres expurgarent. At si accidat, præter naturæ institutum, purgationes has menstruas, propter vasorum uterinorum angustias vel obstructions, retineri: multæ pravæ ægritudines, multaq; prava symptomata generantur, uti præter Hipp. dictum lib. de Genitur. VII. 8. præsens affectus, à menstrui fluxus vel totali abolitione, vel imminutione exordium sumens, satis demonstrat.

§. III. Accidit autem Virginibus sæpiissimè, quando tributum lunare primum solvere debent, quod ab aliis citius, ab aliis tardius, à plerisq; circa annum decimum quartum exigitur, ut sanguini menstruo, ad uterum, commoto, propter vasorum uterinorum vel omnium, vel plerorumq; nativam angustiam, via ac transitus denegetur, unde à mensibus stagnantibus, hinc propter avolutionem spirituum acidioribus redditis, & sanguini universo iterum permis-

permisisti, eundemque; insufficientibus, tota massa sanguinea  
vitiatur ac impurior redditur: a qua sicut nutritio vitiata  
producitur, partium omnium, ad sanguificationem quo-  
modocunque; concurrentium, functiones depravantur, &  
ad humores pituitosiores producendos disponuntur; ita  
saliva, succus pancreaticus, lympha, ceteraque; in corpore  
humores, ob insufficientiam & impuritatem spirituum, a-  
cidiores, austriores, ac crassiores redduntur, qui sanguini  
pituitoso iterum committi, & cum eo ad totum corporis  
habitum detrusi, sedes illos in corpore foemino colores,  
reliquaque; symptomata efficiunt.

§. IV. Accidit etiam aliis foeminis ac virginibus  
vasorum circa uterum obstructio, hinc sanguinis menstrui  
suppressio, ab humoribus crudis, pituitosis, viscidis, crassis,  
& acidis in corpore praexistentibus: qui, dum natura eos  
per vasa uterina in corpore eliminare studet, propter nimi-  
am visciditatem & crassitatem, vasa eadem obstruunt, nec  
sequuturo sanguini vito transitum concedunt. Unde  
vitiosi humores, una cum sanguine menstruo, in corpore  
retenti, & ad partes sanguificationi inservientes delati, citi-  
us hunc affectum producere valent.

§. V. Causam vero Immediatam seu proximam  
hujus affectus, in descriptione nostra, posuimus humorum  
pituitosorum, aliaque; qualitate peccantium, copiam. Ta-  
les enim totius corporis vel partium colores sunt, quales  
humores in eas influentes, Unde ex apparente, ut dicit. Cl.  
Sennert. Instit. l. 1. p. 3 l. 2. c. 7. extra colore, de humoribus  
in corpore dominantibus judicium facere possumus: & ut in  
Ictero flavo totum corpus colore flavo tingitur, ob bilem  
flavam cum sanguine in totum corpus effusam: ita hic in  
praesenti affectu, pallido colore, ob pituitam viscidam  
cum sanguine in totum corporis habitum delatam ibi-  
deimque;

demiq; hærentem, concludimus. Quod etiam ex Senibus, Cachecticis, & Leucophlegmaticis, qui ob pituitæ prædominium pallent, apparet.

§. VI. Hunc pallorem augent humores acidi & austeri, quod testatur Cl. D. Franc. de le Boe Sylvius Medicæ Practicæ in Academ. Lugd. Batav Prof. Publ. Patronus ac Præceptor meus optimè meritus, lib. I. Prax. Med. cap. 34. §. 85. quando dicit. *Pallor accidit corpori universo ratione acidi dominium ubiq; nati, accidente in primis pituita glutinosâ, accidi emulâ & yocia.* Tales verò humores acidos in nostro affectu peccare, præter symptomata, cap. 2. §. 5. recensita, etiam Juvantia & Nocentia satis arguunt.

§. VII. Hi ipsi humores acidi in corpore abundantes, bilem flavam, seu in intestinis, seu sanguine ejusq; sero, seu alibi repertam, corrumpunt: colorem ejus flavum in viridem convertendo, unde postmodū taliter corrupta bilis, cum sanguine pituitoso, ad cutem delata, eandem simili colore tingit. Hoc ne dixisse saltem, sed & probasse videar, en Experimentum hac de causa institutum. Fratris mei natu minimi, nonita pridem ictero flavo laborantis sanguinem, suâ sponte è naribus proflieitem, excepti, aëri expolui, serum planè flavum in magna cōpia supernatans à cruento separavi, eiq; aceti aliquantulum effudi, quod ipso serum incrassatum & in colorem viridem mutatum fuisse: Cruento verò in patina restitatem, cui similiter acetum instillavi, præter nigrum, quem induebat, colorem in superficie obscure virescentem ostendisse, asseverare possum.

§. VIII. Eosdem humores acidos, quatenus sanguinem ad superficiem corporis detrusum coagulant, seu plus debito incrassant, lividi coloris causam esse, ex contusionibus, in quibus sanguis extravasatus & coagulatus, lividi-

C

tatis

tatis autor est, colligimus: nec non ex eo, quod aliquando  
Lugduni Batav. accidisse memini, quando cachecticæ cui-  
dam mulieri, colore plumbeo ferrè tinctæ, è medianâ dex-  
tri brachii apertâ, sanguis coagulatus & in grumos collectus  
eliciebatur.

§. IX. Hi ipsi jam nominati humores, quibus sero-  
fi à quibusdam adjiciuntur, prout, majore vel minore  
quantitate, qualitate, ac prævalentia peccantes, cum san-  
guine ad cutem partesq; externas deferuntur, majorem vel  
minorem coloris producunt mutationem. Hinc est, quod  
alię, decumbentes hoc morbo, aliis sint multo discoloratio-  
res: Hinc est quod alia palleant tantum, alia verò præter  
præpollentem pallorem, viridem simul seu lividum mon-  
strent colorem.

CAPUT V.  
DE  
CAUSIS MEDIATIS SIVE  
REMOTIS.

§. I. Causas Mediatas, quæ ad productionem &  
accumulationem humorum pituitosorum & acidorum  
multum conferre, & morbosum apparatus excitare so-  
lent, ut brevissimè perpendamus, ordo jubet. Desumun-  
tur verò illæ à Rebus naturalibus, non naturalibus, & præ-  
ter naturalibus. Inter Res naturales occurrit, Tempe-  
ramentum. Quæ enim temperamentum habent frigidum  
& humidum, phlegmaticum alias seu pituitosum dictum,  
omnium facillime hoc malum incurruunt.

§. II. Inter Res non naturales considerari mere-  
tur, Aér. Hic dupliciti modo corpus nostrum afficere, & vel  
ore at-

ore attractus, vel per poros cutis admissus lacerare solet.  
Accusatur vero in nostro affectu frigidus & asper, qualis  
borea spirante sentitur, praesertim si pluviosam humidita-  
tem conjunctam habeat, is enim pituitam auget viscosam,  
& acidum acrius reddit, qui effectus certiores sunt ac gra-  
viores, corporibus non satis contra penetrantissimi aeris  
injurias munitis & tectis, praesertim si dum calent ac su-  
dant, iis se exposuerint.

§. III. 2. Alimenta, tribus Ea' vero modis hic pec-  
cant quantitate scil. qualitate, & assumendi modo. Cibi e-  
nim nimia quantitate ingesti, non ipsum solum ventricu-  
lum gravant; sed ob fermentationem minorem ac deprava-  
tam, humores pituitosos, viscidos ac tenaces producunt.  
Idem efficit peccans alimentorum qualitas, si quis utatur  
cibis, aut difficilis fermentationis, carnis fumatis, pisci-  
bus item fumo vel sole exsiccati, aut humores pituitosos  
ac acidos augmentibus, piscibus marinis, pedibus & extremis  
animalium, acidis aut acido conditis, fructibus horariis  
pyris, pomis &c. praesertim immaturis. Quo etiam facit  
modus assumendi perversus, quando priori nondum con-  
cocto aut satis fermentato, novus assumitur cibus, unde  
fermentatio turbatur & humores pravi quam plurimi ge-  
nerantur. Potus similiter hic locum sibi vendicat, iis-  
demq; modis peccat. Huc pertinet: quod Virgines non  
nunquam, ut pallescant, & amatoribus, ut stolidè sibi ima-  
ginantur, placeant, tritico alioq; frumento crudo,  
aut rebus ad nutriendum ineptis, creta scil. terra, calce, &  
similibus, ad incrassationem humorum multum facienti-  
bus, vescantur vid. Sennert. l. c.

§. IV. 3. Motus & quies. Haec si excedant, huc non pa-  
rum conferunt: motu enim nimio humores plus debito a-

gitantur, & spiritus animales absuntur : Quiete vero  
humores pituitosiores & crassiores redduntur.

§. V. 4. Somnus & Vigilia. Somnus nimius pi-  
tuitæ in corpore collectionem promovet, quatenus non  
modo plurima excrementsa retinentur, verum etiam spiri-  
tus torpidiores & hebetiores producuntur. Vigiliae vero  
nimia, spiritus animales consumendo ac dissipando, aciditatem  
humorum augent.

§. VI. 5. Excreta & Retenta. Culpatur hic præ-  
primis suppressio aut imminutio fluxus menstrui, is vero  
quomodo humores pituitosos acidosve efficiat, superiori  
capite satis demonstratum. Aliæ etiam evacuationes  
consuetæ, & interceptæ multum ad humores acidiores  
præstandos faciunt.

§. VII. 6. Animi tandem pathemata. Ex qui-  
b' scil: Mœstitia, Tristitia, & sollicitudo perseverans, nec non  
Terror, ad humorum acidorum, austeriorum, ac pituitoso-  
rum generationem ansam præbent, ut & Amor, qui secun-  
dum Domin. Panarol. Jatrolism. pentac. 3. obs. 14. scœpis-  
simè hujus mali causa est, quamquam non per se, sed pro-  
pter mœstiam, tristiam, & vigilias sibi plerumq; conjun-  
ctas, ut ipse fatetur, hunc affectum causari putem. Unde  
Sanctorius Medic. Static. sect. 7. Aph. 16. dicit : In medi-  
tationibus venereis cum mœstitia, excrementorum perspira-  
bilibus portio crassa retinetur, qua, evolante tenuiore, adduc  
crassior & frigidior fit : hac si colligatur, serè invincibilem  
inducit frigiditatem in capite, palpitationem curatu difficilem  
in corde vel aliis membris.

§. VIII. Tandem succedunt Res præternaturales,  
quales sunt omnes affectus p. n. sive sint morbi, sive causæ  
morbificæ, sive symptomata. Tales vero sunt viscerum,  
alimentorum coctioni ac deputationi dicatorum, intem-  
peries

peries frigida & humida, uterus frigidior ac imbecillior,  
Obstructiones in visceribus, Succus pancreaticus, saliva,  
ac lympha, acrimonia acida, pituita verò viscositate ac len-  
tore vel simul vel seorsim peccantes &c. Et hæc de causis  
remotis seu mediatis sufficiant.

## CAPUT VI. DE CAUSIS SYMPTOMATUM.

§. I. Antequam progrediamur ulterius; unum alterum vè è superius recensitis symptomatibus, Morbo Virgineo jungi solitis, planius & per suas causas libet expone-  
re. Lassitudinem itaq; universi corporis, & præprimis pedum, deducimus à sanguine pituitoso viscido acidoq; ex sanguine namq; ita vitiato pori cerebri occluduntur, vel plus justo coarctantur, unde spiritus animales pauca copia, & quidem magis crassi ac feculentii in cerebro secernuntur, hinc minus fluidi poros cerebri lentè perreptant, & segnius insufficienterq; in organa motoria influunt, unde universi corporis lassitudo. Quam à sanguine viscoso, acidoq; lentè per partes, & quidem à corde remotissimas, uti pedes, circulato, valde augeri persuasum habeo.

§. II. Totius corporis mollities & laxitas fit ab humorum crudorum ac pituitosorum in corpore abundantia. Frigiditas verò ex nulla alia causa, quam ab acido & pituita, & quod pituitam attinet, probant hoc omnes affectus pituitosi, pituitam pro primaria causa agnoscentes. Si quis etiam considerat ætates, observabit istos homines, qui versantur in ultima ætate, longe frigidioris esse temperamenti, quam qui in secunda & prima. Quia in ultima

estate, pituita præ aliis humoribus in corpore nostro domini-  
nium habet, non item in secunda & prima. Acidum verò  
iadicere frigus, hinc inde in Prax. sua Med. demonstravit  
fidelissimus Præceptor meus D. Sylvius, unde lib. I. cap. 34.  
§. 83. dicit: *Frigus in corpore qui ratiocinatione solidâ &*  
*catenata aliunde, quam ab humore acido deducet in homine,*  
*non parum merapiet in sui admirationem, postquam in continuâ*  
*& sollicitâ aliquot lustrorum praxi, & omnium externarum cau-*  
*sarum observatione laboriosâ, nihil reperi hactenus in rerum*  
*naturâ, quod manifestè Frigus pariat in homine præter Acidum,*  
*& quicquid de acido participat.* Hi igitur humores pituito-  
si & acidisanguine admisti, ad cor delati, exinde per arterias  
eum sanguine quaquaversum propulsi frigiditatem  
causant.

§. III. Faciei, Crurum, ac Pedum intumentiam, ab  
humorum pititosorum ac viseidorum cum sangvine ad  
habitum corporis delatorum, & in facie, aëri frigidiori  
magis exposita, pedibusq; à corde, caloris fonte, longè di-  
stantibus, constrictorum & hærentium abundantia dedu-  
cimus.

§. IV. Dolores in ventre, & in primis hypochondrio tam dextro quam sinistro varii, cum murmure & rugitu conjuncti oriuntur, & quidem pungentes ac Lancinantes ab humore pancreatico acidiore ac austeriore in intestinum duodenum effuso. Fixi à pituita viscida in intestinis coexistente. Distendentes à flatibus halitibusvè ex pituita viscida, per effervescentiam succi pancreatici acidioris & bilis vitiatam, in intestino tenui rarefacta, & vel intestina sola, vel simul abdomen distendentibus, qui halitus & flatus hoc illuc libere divagantes, murmur ac rugitu ventris sese nonnunquam manifestant.

§. V. Fastidium ciborum proficiisci arbitramur ex  
humo-

humoribus pituitosis in ventriculo plus minus collectis, ipsumque fermentum obtundentibus, & halitibus, propter succum pancreaticum austriorem, austoris ad ventriculum elevatis.

§. VI. Pica seu rerum insuetarum appetitus, in quo carbones, cineres, creta, calx, terra, lutum, cespites, corium, &, nescio quid non apperuntur, à fermento ventriculi, ex humoribus acidis vel austoris, depravato, commode deduci posse statuimus.

§. VII. Cardialgia cum gravitatis ac distensionis sensu circa regionem ventriculi ab humoribus acidis dependet, humores enim acidi halitus acidos & acres ad superiorius ventriculi orificium mitteentes, pungendo in eo dolores creant, & quando copia simul peccant, ventriculum distendunt: Si vero una cum humoribus halitibusve acidis pituita in ventriculo adundet, gravitatis sensus adest.

§. VIII. Nausea, & Vomitus materiæ pituitoso acidae, originem trahunt ab humoribus acribus, acidis, & pituitosis, inferius orificio ventriculi rodendo ac mordicando ad perversam sui contractionem iucitantibus. Nausea enim & Vomitus gradibus tantum differunt, nausea à leviori, vomitus à graviori causâ dependet, cum omnem vomitum nausea præcedat. Talem vero materiam pituitoso-acidam aliquoties ab ancilla Chlorosi laborante & anno 1668. die 1. Junii in Nosocomium Lugd. Balav. delata, per vomitum excretam esse, mecum omnes qui præsentes fuerunt testari possunt, quæ etiam, antequam vomebat, halitus acidos ac austeros sæpiissimè eructabat.

§. IX. Obstructiones in visceribus ab humoribus pituitosis & acidis ducedendas esse, neminem negaturum facile existimamus, qui secum considerat, omnes, pleras-

plerasque saltem obstrukciones gigni à sanguine pituitoso,  
seu ab austero vel acido plus debito incrassato, inque ex-  
tremis valorum coagulato.

§. X. Respirandi difficultas debetur humoribus  
pituitosis & acido-austeris, qui partim in ipsam arteriam  
asperam pulmonumque bronchia depluant & angustiam  
diversam in iis producunt, partim cum sanguine ex dex-  
tro cordis ventriculo, ad pulmonum vasa iplorumque pa-  
renchyma spongiosum deferuntur, in iis obstrukciones vel  
coarctationes componunt, ipsorum explicationem non-  
minus ac complicationem impediunt, sive Dyspnæam  
pariunt; quæ augetur quoties corpus movetur concitati-  
us & sub ascensi, tum enim, præterquam quod sanguis im-  
petuosius moveatur, ex humoribus pituitosis etiam halit-  
tus & vapores, respirationem difficilius reddentes, at  
tolluntur.

§. XI. Palpitationem cordis ab humoribus pitui-  
tosis, viscidis & acidis oriri, probamus Authoritate Cl. D.  
Sylvii qui Prax. Med. l. i. c. 35. §. 7. scribit: Examinatis  
proinde, expensisq; iis, quantum Ego in Egrotis, cordis palpita-  
tione laborantibus, observavi, tum ab aliis Medicis notata vidi,  
judico, palpitationem hanc ut plurimum ortum suum habere ab  
humoribus flatibusve multum viscosis, ac simul acridibus, ad cordis  
ventriculos delatis, & in ipsis barentibus, atque ipsum ad inon-  
dinatam inquamque sui contractionem continuo irritan-  
tibus.

§. XII. Arteriarum pulsus parvus fit ab humoris  
pituitosis ac acidis cum sanguine ad cor transportatis, à  
quibus sanguinis rarefactio debita impeditur, quam sequi-  
tur pulsus parvus. Frequensverò pro causa agnoscit acri-  
moniam acidam in sanguine auctam cor & arterias ad sui  
contractionem crebro vellicantem. Sic enim Sylvius  
Prax.

Prax. Med. I. 1. c. 27. §. 4. Causa pulsus præter naturam  
frequentioris est quodlibet acre, nunc acidum, nunc lixi-  
vo-salsum, nunc muriatico salsum, per venas una cum san-  
guine ad cor propulsum, atque interne cordis parenchyma  
mordicans.

§. XIII. Febris inordinata ac erratica, quam hacte-  
nus in nulla, hoc morbo afflita, mihi videre contigit, quo-  
modo esse possit comes hujus affectus, nisi, ut vult D. Syl-  
vius, in ipso pulsu præter naturam frequentiore essentia o-  
mnium febrium ponatur, hactenus satis præhendere non  
possim.

§. XIV. Animi deliquum, quod ex præcipiti  
virium lapsu & pulsu minori ac languidiori innotescit, ad-  
scribendum venit humoribus viscido-pituitosis & acidis,  
massam sanguineam incrassantibus. Hi enim humores  
impediunt, quo minus sanguis, debitam in corde rarefa-  
ctionem nanciscatur, unde postmodum pulsus minor &  
languidior, viriumque omnium lapsus sequitur. Reliquo-  
rum adhuc restantium symptomatum rationes & causas  
expendere, vix opere pretium esse censeo, cum ex hacte-  
nus datis easdem cruere sit proclive.

## CAPUT VII. DE DIFFERENTIIS.

§. I. Etsi ex supradictis satis perspicere quis posset,  
quæna hujus affectus essent Differentiæ; ordo tamen, à Medi-  
cis receptus, quo servetur, breviter eas hisce complectimur.  
Desumuntur verò illæ à Generc; habitu respectu 1. Coloris, ubi a-  
liq morbus virgineus est intensior, cum majori corporis de-  
D fœda-

fœdatione, alius remissior cum minori corporis fœditate.  
2. Generationis, alius sensim ac lente, alius verò subito ac cito invadit. 3. Durationis, alius recens qui adhuc est in fieri, alius inverteratus seu factus. 4. Symptomatum, alius gravissimus ac multis, alius mitissimus ac paucis stipatus est symptomatibus.

§. II. Desumuntur etiam Differentiæ à Subjecto, & tum alius est universalis, qui plerasque universi corporis partes occupat: alius Particularis, qui unam saltem alteramve corporis partem obsidet.

§. III. Desumuntur tandem etiam à causis tam proximis, quam remotis naturalibus, nonnaturalibus, & præternaturalibus. Tot enim sunt differentiæ hujus affectus, quo habentur causæ.

## CAPUT. VIII. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS ET PROGNOSTICIS.

§. I. Quo pacto, quibusve signis Virginei morbi præsentia dignosci possit ac debeat, ex loci affecti descriptione, & symptomatum concurrentium enumeratione, superioris propositis, clarissimè elucet, cum omne omnino symptoma habeat rationem σημείων. Sunt autem inter illa quædam huic affectui propria, nempe color totius corporis & præprimis faciei pallidus & cum pallore lividus ac subviridis, ut & Suppressio aut imminutio menstrui fluxus, quæ huic affectui semper adhærent & ab ipso separari nequeunt, & illa hic nominasse sufficiat.

§. II. Signa Prognostica sunt I. Ratione Salutis & Mor-

& Mortis. Morbus Virgineus quamvis in principio periculosus non sit, successu tamen temporis, cum nobilissimæ variarum partium functiones lœdantur, redditur periculi plenus, Quod tamen periculum, prout major minorque est causalium intensio, ac symptomatum plurium vel pauciorum, leviorum vel graviorum concursus varius, variat. Quo enim humores pituitosi ac acidi, hunc affectum producentes, sunt pituitosiores, glutinosiores, acidiores, acerbiores, acausteriores, eo pejorem significant affectum: quo verò magis ab illa glutinolitate & austeritate recedunt, eoleviorem. Sic etiam quamdiu Animad liquum, Cordis palpitatio, aliaque gravia symptomata non adsunt, benè sperandum, quæ si accedant, malè.

§. III. 2. Ratione Longitudinis & Brevitatis: Morbo Virgineo si in tempore, antequam altas egit radices, occurratur, brevis fit: è contra verò, si sit inveteratus, & obstructiones contumaces conjunctas habeat, non nisi longo tempore curatur. Item, qui ex aliquorum saltem, non omnium, vasorum uterinorum obstructione, hinc diminuto mensium fluxu oritur, breve saltem ad curationem tempus requirit: Longum verò, qui ex omnium obstructione, hinc totali suppressione provenit.

§. IV. 3. Ratione modieventus. Bonus affulget eventus, si menses justo tempore & quantitate fluere iterum incipient: Nec non, si virgines viro nubant, conjugalisq; vitæ ac cohabitationis indulgeant licentiæ. Malus contra affulget eventus, quando in hydropem, ut sæpissime fit, degenerare incipit; item quando humores ut inquit Sennert. l. c. caput petunt, feminasq; ad insaniam addigunt. In tabem aut atrophiam raro terminatur, & quando terminatur, malus est metuendus eventus.

CAPUT. IX.  
DE  
CURATIONE EX FONTE CHI-  
RURGICO DESUMPTA.

§. I. Cognito jam ipso affectu, ad ejus curationem ut properemus necessè est. Sciendum verò si ubi certè hic observandum accuratè aureum illud, disticho sequenti, inclusum præceptum:

*Principiis obſta, ferò Medicinā paratur,  
Cum mala per longas invaluere moras.*

Nisi enim in principio subveniatur Morbo Virgineo, non raro ille sensim tam pertinax rebellisq; fit, ut serò tantum, nec nisi longo tempore curari possit. Quapropter Virgines monendæ sunt, ut in tempore, quam primum, incipientis Morbi Virginei signa se manifestant, in colore faciei mutato, mensiumq; suppressione, sibi prospiciant de bonis remediis. Alias, si malum hoc, ut est in proverbio, negligatur in herba, mox altas & eradicatu difficiles agere solet radices, quas postmodum non nisi magno labore superare licet.

§. II. Consistit autem omnis Morbi Virginei curatio 1. In humorum pituitosorum correctione. 2. acidorum emendatione. 3. Ultrorumq; copia peccantium evacuatione. 4. Obstructionum in variis partibus, vasis præprimis uterinis, sublatione. 5. Mensium provocatiōne. 6. Urgentium symptomatum mitigatione, & 7. tandem Convenienti regime diætæ. His omnibus ut satis fiat, haurienda erit materia auxiliorum ex tribus usitatis fontibus: Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætетico.

§. III. Fons

§. III. Fons Chirurgicus exhibet in primis Venæ sectionem, quam, cum omnes fermè Autores practici, Experientia forsitan ducti, commendant: nec nos rejiciemus, quamvis ancillam cuius superius cap. 6. §. 8. mentionem fecimus, absque ulla sanguinis per venam eductione plenarie curatam ac restitutam viderimus; imo sine ullo successu hic Rostochii in puella quadam, hoc morbo correpta, venæ sectionem adhibitam suis observaverimus. Admittimus proinde præparcam sanguinis missionem in principio & quando malum adhuc recens est. Tum enim propter menses retentos, & ipse sanguis, & humores reliqui in corpore augmentur, ab auctis humoribus vasa plus debitè implentur, quæ distensio ac impletio Venæ sectione quam optime solvit, sicque humores cacoehymici in sanguine peccantes minuantur, vasorum ac viscerum depletio ac reseratio feliciter acceleratur, sanguiniq; liberior conceditur motus & agitatio. Quando verò malum est inveteratum, ac humores pituitosi, acidi, cacoehymici nimia quantitate peccant, venæ sectio non est instituenda, ne una cum cacoehymia sanguis laudabilis adhuc in minima quantitate restans educatur. Si verò interdum, sua ore Botallo, de Curat per Sang. miss. cap. 8. & Walæo method. med. p. m. 72 à Medico tentanda: cum eodem Walæo moderatè per ~~strenuerit~~ i. per frequentatas repetitiones instituendā esse judicamus: intermisstis scil. medicamentis alterantibus & confortantibus. Tundenda vero, in quibus vires adhuc sunt integræ, venæ secundum aliorum sententiam brachii, secundum plerorumq; pedum.

§. IV. In debilioribus, aut iis, quæ à Venæ sectione abhorrent, ejus vicem supplere possunt Cucurbitulae cum scarificatione, humores in cute contentos, sangu-

nemq; sensibiliter eduentes, tum etiam ut vult Galen. 13.  
Method. Med. cap. 19. menstruorum fluxum promoven-  
tes, si inguini aut pubi, eo tempore, quô menses instant,  
affigantur: apponi præterea cruribus, lumbis, & brachiis  
possunt.

§. V. Non parum auxilii hic præstant Frictiones  
siccæ & humidæ, manibus aut linteis asperis institutæ, ab  
iis enim cutis spiracula aperiuntur, humores noxiæ insensi-  
biliter è sanguine eliminantur, & superfluum corrupti san-  
guinis corrigitur. Revocari hic quoq; in usum possunt  
Balnea, inunctiones, suffitus, quorum materiam fons phar-  
maceuticus suppeditabit. Fonticuli etiam hoc in affectu  
cruribus applicati à quibusdam commendantur.

§. VI. Chirurgiam Infusoriam Cl. D. Joh. Dan.  
Majoris in Academia Kylonensi P. P. celeberrimi, aut  
Clysmaticam novam D. Elsholzii, quando scil. per apertam  
venam, immisso tubulo, mediante siphone, liquor aliquis  
nutriens, alterans, cardiacus, aut purgans injicitur, qui  
ad cor transiens, & deinceps arterias universumq; corporis  
habitum perambulans, eosdem producit effectus, sed bre-  
viori tempore, ac si ore haultus in ventriculum demissus  
fuisset, hic in præsenti nostro affectu locum habere posse  
non inficiamur. Transfusoria verò Chirurgia, ubi sanguis  
ex arteriis unius animalis tranfunditur in venas alterius a-  
nimalis, utrum hic etiam administrari queat; cum illius  
utilitates ab aliis ei adscriptæ, ab aliis in dubium vocentur,  
uti patet ex Ephimerid. Eruditor. anni 1668. nec asseverare  
nec pernegare possumus.

## CAPUT.

CAPUT VI.  
DE  
CURATIONE EX FONTE  
PHARMACEUTICO DEPROMPTA.

§. I. Fons Pharmaceuticus, medicamentorum generosissimorum promptuarium largissimum, varia ex penu suo subministrat medicamenta, quorum beneficio humores pituitos non modo & acidos corrigeret, & correctos, si copia peccent, evacuare, sed insimul obstrukiones variarum partium reserare, menses provocare, & symptomata urgentia mitigare valemus.

§. II. Pituitos itaq; humores quam optimè corrigit, incident, ac attenuant Salia lixiva tum fixa, v. g. Absynthii, Centaurei minoris, cardui benedicti, Calendulae, fraxini, stipitum, fabarum, juniperi, sabinæ, tartari &c. tum volatilia v. g. C. C., succini, fuliginis, ossium, sanguinis, urinæ, & reliquis omnibus palmam præripiens Sal volatile, sive Spiritus salis ammoniaci. Aromaticæ quoq; & spirituosa huic indicationi satisfaciunt, qualia sunt Radices apii, angelicæ, petroselini, fæniculi, levisticæ, Galangæ, sarlæ parillæ, scorzoneræ, zedoariæ. Herbæ absynthii, calamintæ montanæ, cardui benedicti, cochlearie, melissæ, majoranæ, matricariæ, rorismarini. Flores bellidis, croci, lavendulae, melissæ, tunicæ, hyperici. Semina apii, majoranæ, levisticæ, nigellæ, pastinacæ silvestris, petroselini, rutæ, sinapi. Fructus amygdalæ amaræ, cardamomum, Nux moschata, Baccæ juniperi, lauri, Ligna aloës, guajacum, lassafras. Cortices aurantiorum, citri, cinamomi, tamarisci. Gummata, Galbanum sagapenum, bdelium, ammoniacum, opopanax, masticæ, myrrha, Succinum.

einum item, & Castoreum &c. Ex quibus Aquæ, spiritus,  
Essentia, Tincturæ, Extracta, Olea, nec non Conservæ,  
Condita, Syrupi, Pilulæ &c. artis chimicæ & therapeuticae  
beneficio parata, hic in officina prostant.

§. III. Humores acidos ac austeros potentissime  
1. infringunt & concentrant Salia lixiva tam fixa ex plantarum  
cineribus, quam volatilia, imprimis ex animalium  
partibus, cornibus puta, ossibus, pilis, sanguine, &c: elici-  
ta. 2. Obtundunt pinguia & oleosa, qualia sunt Emulsi-  
ones ex Amygdalis dulcibus, amaris, aut semine papaveris  
albi parata; olea item destillata, anthos, corticum aurantio-  
rum, macis, caryophillorum, cinamomi, succini &c. 3.  
Leniunt & temperant spirituosa & spirituoso - aromatica,  
utis sunt Spiritus vini, tam simplex ex vino Rhenano, Galli-  
co, Hispanico, aliisq; generosis destillatus, quam modis va-  
riis factus aromaticus. Spiritus item mororum norvegico-  
rum, cochlearia, lumbricorum terrestrium, fl. sambuci, li-  
gnis sassafras, Cordialis Excell. Backmeisteri Med. D. Anat.  
Chirurg. & Med. Practicæ in Academ. Rostoch. Prof. Publ.  
famigeratissimi, Præceptoris ac patroni mei jugiter deve-  
nerandi. Arillorum Cynosbati alkalisatus, ab Excell. D.  
Döbelio, Præceptore itidem ac fautorē summopere colen-  
do, in usum vocatus. Huc referenda variæ extractiones  
cum spiritu Vini paratae. Quales sunt Tincturæ florum  
hypericonis, bellidis, tunicæ, ligni sancti, tartari. Extra-  
ctū Absynthii, simplex & compositum, Antehypochondria-  
cum D. Backmeisteri, Bezoarticum ejusdem. Elixir vitæ  
matthioli, Juniperinum compositum D. Döbelii &c. 4.  
Diluunt & enervant aquosa quævis, tum naturalia, tum  
artificialia, seu destillata. 5. Huc etiam pertinent præparata  
varia oculorū 69, margaritarū, coralliorū, C.C. usti, matris  
perlarum, succini, limaturæ chalybis, cretæ &c. quæ aci-  
dos

dos humores coērcent & temperant: hisc si aliquod illorū imponas in aceto sive vino acidiusculo, ita temperabitur illud acidum, ut notabiliter aciditatē perīsse gustuanimadvertere possis. 6. Deniq; hisce humoribus corrigendis conducunt Aromata, uti Cinamomum, nux moschata, garyophilli, zingiber, plantæ aromaticæ, mentha, ruta, melissa, hyssopus &c. quorum maximam partem præcedente paragrapho nominavimus.

§. IV. Neverò Formulæ desint, quibus humores pituitosos & acidos, heic simul peccantes, emendare possumus, nonnullas hic adjiciamus. Exempli loco sint sequentes Mixturæ.

R. *Aq. Menth. crisp.*

R. *Aqv. Majoran.*

*Petrosel.*

*Melisf.*

*Fenicul.* an Unc.j.

*Card. benedict.* an. Unc.j.

*Cocbleak.*

*Anhalt. intern. f.m.*

*Cinamom.*

*Spir. Arill. Cyno/bat. alkalis.*

*Elix. Vit. Matbiol. f.m. an Unc. ss.*

*an. Unc. ss.*

*Spir. Sal. Ammoniac. gutt. XV.*

*Cocblear. Drach. ij.*

*Syr. Card. benedict. Unc.j. M.* *Rot. Perlar: Drach. iij. M.*

De hisce misturis ægra subinde cochlearia duo, tria, vel quatuor sumat: Ea quippe aciditatem humorum temperant, & pituitositatem incidunt, atq; attenuant.

§. V. Si cui decocti forma magis placeat, sequens parari potest ad uncias duas aut tres assumenda

R. *Rad. Apii. Levistic. Calam. aromat.* an. Drach. j.

*Herb. Betonic. Melisf.*

*Summit. Centaur. min.* an. M. ss.

*Flor. Camomill. rorismar.* an. P. j.

*Bacc. Juniper. Laur.* an. Drach. j.

E

Con-

2112.Cui

Contus, & concil. coquantur in s. q. Aquæ puræ.

Colaturæ R. Libr. j. fl. adde

Aq. Cinamom. Unc fl.

Syr. Menth. Unc. j. M. F. l. a. Apozema.

§. VI. Ad emendandos in universo tum corpore,  
tum sanguine, scatentes humores pituitosos & acidos con-  
ducit quoq; Cerevisia vel Vinum Medicatum, quotidiè,  
inter prandendum ac cœnandum, ut & alias mediocri  
quantitate usurpatum. E. G.

R. Rad. Apij. Enul. campan. Angelic. an. Drach. ij.

Herb: Majoran. Salv. Rorismarin. aa. M. j.

Garyophillor. P. ij.

Sem. Fænicul. Drach. j. fl.

Cinamom. acutiss. Nuc. Moschat.

Cortic. Aurant. an Drach. j.

Concidantur & crasse contundantur, sacculoque oblongo  
includantur, mox in vale convenienti Vinum laudabile ad  
libras VI. superfundatur, aut etiam Cerevisia, de qua post-  
quam, per 24. horas steterit, & gra aliquoties, de die, haustu-  
lum sumat.

§. VII. Quod si quædam fæminæ solidiorem me-  
dicamenti formam præferant, illæ sequenti utantur  
Electuario.

R. Conf. Anthos. Flor. Beton. an. Unc. j.

Condit. Rad. Enul. Cortic. Citr. Aurant.  
an. Unc. fl.

Spec. Diambr. Drach. ij. Diagalang. Drach. j. fl.

Ol. Cinamom. Garyophill. an. Gutt. iii.

Syr. Menth. q. s. F. l. a. Electuarium aliquoties de  
die ad nucis moschatæ quantitatem sumendum.

§. IIX. Cui

§. IIIX. Cui Pilulæ magis placent, quam aliæ formæ;  
illi sequentes præscribi poterunt.

R. Gumm. Galban. cum Vino Gallico preparant. Scrup. ij.  
Ammoniac. Drach.  $\beta$ .

Masticb. an. Scrup. j.

Succin. alb. Caster. opt. an. Scrup.  $\beta$ .

Ol. Caryophill. Gutt. VII. M. F. l. a. Massa, ex cuius  
scrupulo uno form. Pil. No. XII. & inaurentur.

Possunt harum pilularum XII, ad XVIII. omni tempore as-  
sumi. ac præsertim manè, stomacho vacuo, aut Vesperi u-  
nâ alterâve horâ post cœnam, aut utroque tempore; quo  
humores pituitosos ac acidos citius & potentius, aut se-  
gnius blandiusque corrigant, & ægrotæ beneficium  
præstent.

§. IX. Cuipulveris forma magis arridet, capiat sub-  
inde sequentem.

R. Spec. Aromat. Caryophillat. f. m. Diacalamintb.  
Pulv. Cachetic. Quercetan. Stomachal. com. m. offi. in.  
an. Scrup. j.

Salis Absynth. Flor. Sal. ammoniac. an. Scrup.  $\beta$ .

Sacchar. alb. Drach. iiij. M.F. Pulvis in sex doses di-  
videndus, & bis de die ex vini generosioris aut alterius  
aqua destillatæ cochleari uno alteroq; sumendus.

§. X. Huic pulveri si quadruplum vel sextuplum  
Sacchari, convenienti aquâ dissoluti, addatur: facile ex inde  
Rotulæ ac Morsuli parari possunt.

§. XI. Possimus præterea medicamenta, quæ in  
pauca quantitate multum efficiunt, in forma Tincturarum  
præscribere.

R. *Tinct. Fl. Bellid.*

*Tunic.* an. Drach. ij.

*Spir. Sal. Ammoniac.* Drach. j.

M. F. *Tinctura. Vel.*

R. *Tinct. Castor.*

*Santal. rubr.*

*Tartar.* an. Drach. j. M.

F *Tinctur. Vel.*

R. *Menstrui in quo ol. Caryophill. aut aliud quodcumq; de-*  
*stillatum, Succini v.g. est solutum.*

*Tinct. Fl. Tunic.* an. Drach. ij.

*Spir. Sal. Ammoniac.* Drach. j. M.

Hæc medicamenta commodissimè usurpantur, si quantitate uniuscujusq; constitutioni ac ætati conveniente ad guttas X.XII. & plures, ter quatervè, aut sœpius quotidie assumantur ex vinò, cerevisiâ, aliove liquore apto. Ab iis enim humores pituitosi & acidi in toto corpore sensim emendantur & corriguntur. Quod idem etiam præstat *Tinctura* subjuncta ad Drach. j. aliquoties quotidie exhibita.

R. *Tinct. Fl. Tunic. Bellid. Hypericon.*

*Santal. Citrin.* an. Drach. ij.

*Tartari.*

*Spir. Sal. Ammoniac.* an. Scrup. j. M.

§. XII. Humores pituitosi & acidi ita temperatî, attenuati, & ad motum fluxiles redditi, quandoquidem copia simul peccant in corpore, minui debent vel per alvum, vel per sudores, vel per alias vias commodas, prout moribus & ægræ constitutio illud indicârit. Et quod pituitam attinet, evacuant eandem per alvum Phlegmagoga dicta, Radix Bryoniæ, Hermodactyli, Mechoacannæ, Colocynthis, Myrobalani chebuli, Emblici, & Bellirici. Agaricus, Opopanax, Sagapenum, cortex Esulæ, Turpethi, Folia lennæ s. st. Extractū Esulæ, Mechoacannæ albæ, Foliorū sennæ

sennæ, Polychrestum Mynsichti, Panchymagogum ejusdem, pilulæ de Hiera picra Galeni. Elixir. Citri Catholicon D. Backmeisteri, nec non Mercurialia medicamenta ritè parata; Mercurius dulcis, Turbith, minerale Mynsichti, nec non alia composita varia ex Dispensatoriis & Pharmacopœis Schröderi, Zvvelfferi, Horstii, aliorumque petenda. Per vomitum: Radix & folia Asari, eorundemq; succus expressus, coagulum Asari, cuius descriptio apud Scroderum in Pharmac. & Hartmannum in Prax. Chymiatr. extat. Extractum specificum Emeticum Mynsichti. Extractum Hellebori Hartmanni. Sal Vitrioli ex capite mortuo vitrioli elicitus, Vitriolum album, Mercurius vitæ, Vitrum Mercurii, Crocus Metallorum, Vitrum antimoniæ, Sapavomitiva Sylvii, Haec tria, quamvis præcipue ad bilem per vomitum educendam adhibeantur, magno tamen cum fructu etiam in pituitosis humoribus satis correctis, usurpata vidi. Per Urinam: Nuclei mali persici, Radices petroselini, asparagi, raphani, fumariæ, fæniculi. Vinum diureticum Hartmanni, Spiritus diureticus ejusdem, sal succini volatile Crollii, Tinctura tartari &c. Per sudores & diaphoresin: Antimonium Diaphoreticum, Bezoarticum minerale, solare, lunare, lapis Bezoar orientalis, Roob Sambuci, Spiritus florum & baccarum sambuci &c. Sylvius laudat in Praxis sua Decocta ex radicibus chinæ, sarsaparillæ, petasitidis, contrajervæ, lignis guajaci, sassafras, juniperi, quercus, buxi & similibus parata. Plura qui desiderat, Authores inspiciat.

§. XIII. Humores verò acidos quod concernit, illi sufficientissimè debent esse correcti & ad seri naturam redacti, antequam educantur per alvum & vomitum, nisi tormenta & ingentes dolores ægrotis creare velis. Sic enim Sylvius Prax. Med. I. i. cap. 7. §. 53. scribit: In humo-  
ribus

vibus atidis sedulo cavendum à purgantibus, integrum temperati fuerint, & ad seri naturam deducti, quos tum redundantes per Hydragoga educi nil obstat: & cap. 2. §. 26. in humoribus acidis nulla praescribo purgantia, quoniam nulla sunt mibi hactenus nota, que illos, intemperatos scil. educant blandè, sumq; præterea eductus per experientiam multiplicem, irritari quidem, non vero nisi cum summis terminibus & noxā majore quam fructu, vacuari acidos in corpore humores. Nos igitur eosdem medicamentis supra præscriptis satis temperatos educimus per Hydragoga dicta, uti sunt: Jalappa, Mechoacaanna, Agaricus, Scammonium, Euphorbium, Sagapenum, Elaterium, gummi Gotte, resina Jalappæ, Scammonii, radix item Bryoniæ, cortices Ebuli, Esulæ, Frangulæ, Sambuci, Gummi de Peru, Rosatum Mynsichti, Extractum panchymagogum ejusdem, extractum specificum Hydropicum ejusdem, Electuarium Hydragogum Sylvii: Mercurius vitæ, turbith. minerale &c. Per Vomitum, Urinas, & sudores quæ expellunt, nominavimus præcedenti paragrapho.

§. XIV. Ex hisce jam recensitis medicamentis eva-  
cuantibus variz possunt parari formulæ, humores pituito-  
sos ac acidos educentes, quarum quasdam adjiciemus. Et  
quidem quando per alvum seu secessum volumus pur-  
gare, semper respiciendum, an etiam alvus sit aperta vel  
obstructa; quæ si sit obstructa, quemadmodum plerumque  
in hoc morbo accidere solet, ne purgantis medicamenti  
vis retardetur, aut plane impediatur, obstacula vel suppo-  
sitoris, quæ in officinis semper parata prostant, removebi-  
mus, vel sequenti Clystere:

R. Specier. pro Clyster. Unc. j.

Coq. in f. q. Seri lactis & coletur ad Unc. xj.

Colat. add.

Ol. Ruth.

*Ol. Ruth, Camomill. an, Unc. j.*

*Sal. Gemma Drach. j. M. l. a. Enemā  
calide injiciendum, & per horæ dimidium aut circiter  
in corpore tenendum.*

*§. XV. Alvo ita soluta, præscribere possumus pur-  
gantia, in forma uniuscujusq; palato accomodatissima. Ita,  
si quæ amer Haustulum assumere, huic propinamus infu-  
sum, summo mane exhauiendum.*

*R. Fol. Senn. s. st. Unc. β.*

*Rad. Jalapp. Mechoacann. an. Drach. j. β.*

*Tartar. Crud. Drach. j.*

*Concis. & Contus, infund. per noctem in*

*Aq. Fumar. Sambuc. an q. s.*

*Mane post lenem ebullitionem coletur. In colat. Unc.  
j. β. dissolve*

*Mann. depurat. Drachm. vj.*

*Esf. Citr. Anis, an. Scrupul. j. M.*

*F. Haustus pro una dosi.*

*Quæ verò spirituosa desiderant potionem, iis commen-  
damus sequentem, non sine magno ægrorum commodo,  
sapè sapius à D. Backmeistero præscriptam.*

*R. Elix. Citri Catholic. D. Backmeist. Unc. j. β.*

*Syr. Diasereos Andernac. Unc. β.*

*Esf. Citri Scrup. s. F. Potio.*

*§. XVI. Qvibus verò non molestum est deglutire  
pulveres, in illarum gratiam qvosdam apponimus.*

*R. Pulv. Rad. Jalapp. Scrup. j. R. Pulv. Passavant. Scrup. i.*

*Scammon. Sulphurat.*

*Rad. Jalapp. Scrup. β.*

*Croc. marc. aperit. an. gr. v.*

*Gumm. Gott. gr. iiiii.*

*Ol. still. macis. gutt. ii. M.*

*Esf. Citri. Scrup. β.*

*F. Pulvis subtil. Vel.*

*M. F. Pulvis subtil. Vel.*

*R. Mer-*

R. *Mercur. dulc. rite preparat.* Drach. i.

*Fæcul. Ircos nostr. Bryon. an. gr. xv.*

*Resin. Jallapp. gr. iii. M. F. Pulvis*

*in tres partes æquales dividendus.*

Hi pulveres ægrotis matutinis horis sunt præbendi cum  
jusculo carnium vel cerevisia calida.

§. XVII. Quibus Pilulæ magis placent quam aliæ  
formæ, illis injungimus tales:

R. *Extr. Panchymagog. Croll. secund. descript.* gr. xv.

*Mercur. dulc. Scammon. sulphurat. an. gr. viii. cum*

*Extr. Absynth. F. l. a. Pilulæ Nro. xvij.*

*Div. in duas partes æquales.*

R. *Mas. pilular. de Ammoniac. Quercet. Scrup. j.*

*Extr. Hellebor. nigr. gr. vj.*

*Scammon. sulphurat. gr. v. cum*

*Spir. Rosar. F. l. a. pilul. Num xvij. Inaurentur, aut*

*Fæcul. Bryonia conspergantur.*

§. XVIII. Vomitoria exhibemus iis, in quibus, præ-  
ter virium robur, humores sua sponte sursum vergunt, &  
ad vomendum adeò propensio, ejusmodi formulis:

R. *Rad. Asar. Unc. f. Conscindatur & per X. horas in*  
*Aq. Gramin. q. s. infundatur & post ebullitionem*  
*ad Unc. ij coletur. Vel.*

R. *Coagul. Asar. Hartman. Scrup. j. s. vj.*  
*Aq. Raphan. Unc. ij. F. Vomitorium. Vel.*

R. *Vitri Mercurii gr. viij. Vini Rhenan. Unc. j. f.*  
stent per noctem in loco calido, mane filtratur &  
infusum, ad usum detur.

Eodem modo possimus procedere cum Vitro Antimonii,  
& ex eo egregia vomitoria elicere.

§. XIX. Quo

§. XIX Quo vero humores vitiōsi adhuc in sanguine permanentes felicius educantur : ad Diuretica descendamus. Illa enim humores pituitos attēnuando, incidendo, acidos temperando , ad vias urinarias deducendo, ac cum urina ē corpore ejiciendo ; ad causā morbisimæ imminutionem multum faciunt. Possunt vero esse talia :

R. *Nucl. Persic.* Unc. j.  $\beta$ .

*Sem Petrosel.* Anis. an. Drach. j.

*Aq. Petrosel.* Fumar. Apit. Fenicul. an. Unc.  $\frac{1}{2}$

M. F. l. a. Emulſio cui adde

*Aq. Cinamom.* *Spir.* Arillor. Cynosbat. alkal. an Unc.  $\beta$ .

*Spir.* Sal. Ammoniac. gut. xii.

*Syr. de Fumar.* Unc. j. M. vel.

R. *Baccar.* Laur. Juniper. an. Drach. iii.

*Rad. Aſparag.* Fumar. an. Drach. ij.

*Fruct. Alkekeng.* Drach. i.

Contus. & concis. Coq. in *Aq. puræ* q. f. ad Colaturæ

Libr.  $\frac{1}{2}$ .

addendo *Spir.* Arillor. Cynosbat. Unc. j.

Tinctur. Tartar. Scrup. j.

*Syr. Fenicul.* Unc. j. F. l. a. Apozema

de quo ægra ſæ piffimè de die cochlearia duo, tria, aut plura pro lubitu capere potest.

§. XX. Sudorisera & Diaphoretica, quatenus humores in superficie corporis hærentes attēnuant & expellunt, maximo cum ægrorum emolumento in præsentia afflitti exhiberi possunt, hoc modo:

R. *C. C. Philosoph.* præparat. Scrup.  $\beta$ .

*Lap. Bezoar.* Oriental. Sal. Card. benedict. an. gr. vj.

F

Sal.

*Sal. Absynth. gr. iiiij. Spir. Iberiacal. camphor. Scrup. j.*  
*Aq. Card. benedict. Unc. ii.*  
*Syr. Acetos. Citri. Unc. β. F. l. c. Mistura sudori-*  
*fera. Vel.*

R. *Aq. Flor. Sambuc. Fumar. an. Unc. j.*

*Rob. Sambuc. Drach. j.*

*Iberiac. Andromach. Scrup. ij.*

*Sal. Absynth. gr. vij.*

*Spir. Flor Sambuc. Drach. ii. M. Vel.*

R. *Pulv. Afell. preparat. C. C. ust. an. Scrup. j.*

*Antimon. Diaphoret. gr. x.*

*Sal. Centaur. minor. gr. vij. F. Pulvis*

Hic pulvis, aut præcedentes misturæ, propinentur ægrotæ ad sudandum mane vel in lecto, vel Laconico balneo ab Hartmanno in Prax. Chim. descripto.

§. XXI. In quibus sudor per ~~imuegan~~ leniter est provocandus, illis aliquoties quotidie cochlearia duo aut tria subiunctæ misturæ, ad sudoris eruptionem usque exhibemus.

R. *Aq. Fumar. Coclear. an. Unc. iii.*

*Spir. baccar. sambuc. Unc. β.*

*Iberiacal. Camphorat. Drach. j.*

*Salis Ammoniac. gutt. xx.*

*Antimon. Diaphoret. Scrup. j.*

*Pulv. Lap. Bezgar. gr. vij. M.*

§. XXII. Ab his eam recensitis medicamentis omnibus tam alterantibus quam evacuantibus, modo aliquandiu illorum adhibitio continuetur, humores pituitosi & acidi, non modo quoad qualitatem nocentes, totalliter corrigentur, & quo ad quantitatem evacuabuntur;

sed

Sed insuper etiam obstructiones in vasis uterinis, & in quacunq; alia corporis parte existentes, plenariè tollentur. Si quidem omnia sanguinem viscidum & incrassatum, causam plerorumque obstructionum, emendandi & educendivim habent.

§. XXIII. Ad Sanguinis menstrui evacuationem impeditam aut suppressam feliciter & debitâ quantitate cintandam, eâ septimanâ quâ menses ante fluere consuevant, aut indicia quædam, ac si fluxuri quidem essent, si modo possent, apparent, studemus. Secus enim si natum fæminarum, in novilunio purgari consuetarum, in plenilunio stimulare vellemus: in cassum laboraremus. Eo ergo tempore menses provocantia medicamenta prioribus adjungimus, sicque medicamenta humorum vitiösorū correctioni, & simul mensium sollicitationi inservientia componimus. E. G.

R. Ag. Matricar. Artemis. Puleg. an. Unc. ii.

Roob. Juniperin. Drach. f. Exir. Croc. Scrup. f.

Spir. Sal. Ammoniac. gutt. xij.

Syr. quinq. Radic. Unc. f. F. l. a. mistura aliquot vicibus cochleatim evacuanda.

§. XXIV. Veli si desideretur aliquod Electuarium: paretur sequens.

R. Conserv. antbos, Meliss, Fl. Lavend. an. Unc. j.

Cort. aurant. condit. Unc. f.

Pulv. Croc. oriental. Scrup. i.

Ol. Sabin. Succin. an. gutt. iiiij. cum

Syr. Acetof. Citri q. f. F. l. a. Electuarium cuius do-

sis sit nucis castaneæ quantitate:

§. XXV. Veli si ægra appetat pilulas: tales for-

mentur.

R. Gumm. Galban. cum Vin. preparat. Drach.  $\beta$ .  
Myrrb. Croc. Mart. aperit. an. Scrup. i.  
Extr. Croc. Castor. optim. an. gr. xii.  
Ol. Macis gutt. ii. M. F. l. a. pilulæ Nro xxx. in-  
aurentur. De quibus singulis diebus mane & vesperi cubi-  
tum itura deglutiat quinq;

§. XXVI. Veli si Rotulas expetat:

R. Spec. Diagalang. aromat. Cariophyllat.  
Pulv. Sabin. an. Drach.  $\beta$ .  
Croc. oriental. Croc. mart. aperitiv. an. Scrup. i.  
Ol. Sabin. Succin. an. gutt. iii.  
Sacchar. in ag. Artemis. Salvia an. q. f. solut. Unc. iii.  
F. l. a. Rotulæ, pro lubitu assumendæ.

§. XXVII. Urgentium symptomatum plerorumque mitigatio remediis hactenus nominatis similiter ob-  
tinebitur, interim tamen, ut paucorum saltem & quidem gravissimorum mitigationem & curationem tangamus:  
si Lassitudo in toto corpore molestiam creet, sequentem laudamus misturam satis spirituofam, cochleatim per in-  
tervalla assumendam, à quâ, præterquam quod tota mas-  
sa sanguinea, pituitosis & acidis humoribus referta, e-  
mendabitur, atque ad motum aptior reddetur,  
spiritus etiam in maiore quantitate & magis puri gene-  
rabuntur.

R. Ag. Menth. Meliss. Anhaltin. intern. f. m.  
Elix. vit. Matthiol. f. m. an. Unc. i.  
Tinct Fl. Tunic. Drach. i.  
Confect. Alkerm. Scrup. i.  $\beta$ .  
Rot. perlat. Drach. iii. M..

§. XXVIII.

§. XXVIII. Faciei Crurum, ac in primis pedum in tumescentia, quæ ægrotis nimis incommoda esse solet, cum ab humoribus pituitosis ibidem hærentibus ortum ducant, tolletur remediis, pituitam attenuantibus & eva cuantibus, quorum, cum, quoad interna, ingentem numerum superius enumeraverimus, hic saltem quædam externa adjiciemus. Et quidem Facies quam optime restituetur suffit.

R. *Pulv. pro Fumo Catarrhal. D. Backmeist. Unc. ss.*

*Raf. Succin. alb. Drach. ij.*

*Gumm. Benzoin. Scrup. j. M. F. Pulvis grossus.*

prunis inspergendus cuius fumus, capite pallio alio-  
ve operimento amplio tecto, excipiendus.

§. XXIX. Pedum vero tumor fomentationibus  
curabitur.

R. *Rasur. Lign. Guajac. Unc. viij.*

*Rad. Levistic. Unc. ii. Angel. Unc. i.*

*Fol. Artemis. Absynth. Abrotan. Majoran. Salv.*

*Summit. Centaur. min. Melilot.*

*Flor. Sambuc. Chamomeli an. M. i.*

*Sem. Cumin. Unc. iv. Bacc Juniper. Unc. vi.*

Concisa & crasse contusa duobus sacculis lineis involvan-  
tur, & decoquantur ex Aq. Puræ q. s. Hi facculi pèdibus  
calidi applicentur, pedesq; per aliquot horas decocto cali-  
do imponantur.

§. XXX. Dolores in Hypochondriis varii & qui-  
dem pungentes ac lancinantes demulcentur anodynis &  
narcoticis, queis & acidum acre temperetur, & partis  
sensus aliquantum obtundatur. Distendentes vero flatus  
discutientibus, carminantibus dictis.

R. Ag. Fænicul. Fl. Chamomill. an. Unc. i.  
Carminat. Physagon. an. Unc. f.  
Anhalm. intern. s. m. Elix. Vit. Matthiol.  
Spir. Anis. Carui an. Drach. ij.  
Salis Ammoniac. gutt. x.

Rot. perlar. Drach. ij. M.

Velinungatur totum abdomen, ad cartilaginem easifor-  
mem usq;, sequenti Linimento.

R. Ole. Absynth. Stomachal. Crat. an. Unc. f.  
Cumin. Carv. Carminativ. an. gutt. x.  
Pulv. Masis. Drach. j. Cera flav. q. s.  
F. l. a. Linimentum.

S. XXXI. In Pica, subiunctam, & ab aliquot ægrotis,  
hoc symptomate laborantibus, cum fructu usurpatam  
commendamus Misturam.

R. Ag. Fænicul. Menib. Crisp. an. Unc. ij. Petrosel. Unc. j.  
Elix. Vit. Matthiol. Unc. f.  
Corall. rubr. præp. ocul. canc. præp. C. C. usq. præparat.  
Succin. præparat. an. Scrup. j. Cret. præparat. Scrup. ii.  
Spir. Sal. Ammoniac. gutt. xv.  
Syr. Flor. Tunic. Unc. f. M.

S. XXXII. In cordis palpitatione subiunctam lau-  
damus Misturam.

R. Ag. Stomachal. calid. Fænicul. an. Unc. i.  
Spir. aur. Tabernontan. Cordial. an. Unc. f.  
Coclear. Drach. ii.  
Tinct. Fl. Tunic. Gran. Kermes. an. Scrup. ii.  
Laud. Opiat. gr. i. Rot. perlat. Drach. ij. M.

S. XXXIII. Inter graviora symptomata unum ad-  
huc gravissimum occurrit, Animi deliquium dictum; cuius  
mitigatio & curatio, neutiquam omittenda, sequentibus  
obtinebitur:

R. Ag.

R. *Aq. Menth. Cochlear.* an. Unc. ij.  
*Spir. Cordial.* *Aq. Anhaltin.* intern. f.m.  
*Elix. Vit. Matthiol.* an. lunc. f.  
*Tinctur. Fl. Tunic.* Drach. jf.  
*Conf. Alkerm.* Drach. j. *Laud. Opiat.* gr. j.  
*Spir. Sal. ammoniac.* gutt. x.  
*Rot. Perlar.* Drach. iij. M. & cochleatim. sumatur.  
Potest etiam Sacculus regioni Cordis externè imponi  
R. *Spec. pro saccul. cordial.* D. Baekm. Unc. j.  
Insuantur Syndonirubro, & cum  
*Aq. Anhaltin.* p. i. *Fl. Nymph.* p. ii. aspersæ applicentur.

§. XXXIV. Reliquorum Symptomatum mitigationem annexere minimè necessarium esse iudicamus, si quidem illa, sublata causa huius affectus, sua sponte cadunt. Et qui exactam Symptomatum horum omnium curationem & tractationem desiderat, eum remittimus ad Autores Practicos. Nostri instituti ratio plura de iis dicere non permittit.

## CAPUT XI. ET ULTIMUM. DE CURATIONE EX FONTE DIÆTETICO.

§. I. Frustra omnino laborabimus medicamentis hunc morbum profligare, nisi Diæta exacta habeatur ratio. Quemadmodum enim Mythologi de Prometheo referunt, Aquilam ab eius hepate tantundem singulis diebus devorasse, quantum nocte accreverat: Ita liceat mihi affirmare tantundem sanitatem ex vitiosa Diæta detrimenti

menti accepturam, quantum incrementi, ex commode medicamentorum usu ipsi allatum fuerat.

§. II. Diæta autem cum in sex rerum non naturalium usu legitimo consistat, Morbo Virgineo laborantibus, instar Regulæ sit ut: A èrem feligant temperatum purum & calidum: Cibos mediocri quantitate debitoq; modo assument boni succi, & facilis fermentationis. Pótus sit bene defœcatus, & probe excoctus, minime acidus. Otium vitetur nimium & deambulationibus modicis assuefiant. De somno longiori aliquid detrahatur, ita tamen, ut in hisce omnibus mediocritas servetur docente Aphorist. Aph. 3. Sect. 2. Excreta & retenta omnia naturaliter se habeant: alvus quotidie suum faciat officium: Supressio mensium tollatur: Animi demum motus dictamen rectæ rationis sequantur. In primis vitentur Tristitia & Mœror. Exercitium Venereum, quibus concessum est, instituatur, hoc enim ad curationem hujus affectus multum facere testatur Hippocrates lib. de Morb. Virg. III. quando dicit: κελεύω δὲ ἔγαγε τὰς παρτένες, ἐκόπτω τὸ τοιχτὸν πάχωσιν, ὡς ξυρομῆσαι αὐδράσιν. Ego vero jubeo Virgines, cum hujusmodi patiuntur, quam citissime viris cohabitare. Et VI. Epid. V. 39. Λαρρύγη τῶν Δπὸ φλέγυματ οὐ γενόμενον. Coitus morbis ex pituita commodus.

§. III. Sed finio. Vere enim, ne mea Disputatio iam solitos excesserit limites, quod tamen in materia difficillimâ evitari vix potuit, in quâ si quid humani sum passus, rogo, Lector benevole, ut, hominem & me & te esse, memineris.

SOLI DEO SIT LAUS HONOR ET  
GLORIA IN SECULA.



Nobisiss. D. SYLVIO, Practicum quoddam, in quo Ideam suam Praxeos Medicinæ explicabat, & adhuc aliud practicum, in Nosocomio Academicō, ubi in ipsis Ægrotis morbos, eorum causas, & curationem detegebant. Sub celeberrimo VAN HORNE Collegium Chirurgicum & Anatomicum, in quo omnes totius corporis partes, earum situs, connexiones, & omnia nova inventa Anatomica ad oculum demonstrabantur. Sub Clariss. MARCHGRAFIO Collegium Chymicum, in quo dies noctesq; in operando suimus continui: Practicum de Materia Medica, & Institutionum. Tribus præterea interesse mihi licuit Anatomia publicis: duobus, ab Excell: Dn. VAN HORNE: & una, ab Dn. SYLVIO institutis ex quibus omnib; quantum lucis hauserim, describere supersedeo. Per annum & quatuor menses ibidem commoratus, fluctibus me commisi: quibus superatis, Angliam intravi, ubi Londini ad quorundam Naturæ Curiosorum alloquia admisi: nec nun ad curationem Regiam quando Rex per impositionem manuum & quorundam verborum adhesionem Scopulas curat: ex quibus non parum emolumenti ad me redundasse, grata semper mente recolo. Perlustratus Celebrioribus Regni Anglicani locis variis, & præprimis Academiâ Oxoniensi, migravi ad Gallos, & postquam varia Galliæ loca & quidem satis celebria visitasse, Lutetiam tandem Parisiorum adii, Nosocomia ægrotu reserta, cum Cl. & Excell. Dn. D. BURDELOT assidue frequentari, variazq; operationes Chirurgicas in ægrotis institutas vidi, ex quibus non parum commodi cepi. Ab hinc iter feci in Germaniam, & salutatis celebrioribus Germaniæ Academiis, Strasburgensi scilicet Heidelbergensi, Erfurdensti, Jenensi, & Lipsiensi, sospes & incolumis ad Meos ante novem menses reversus, adhuc subsistit.

Sed vero, semestre forte est, quando dictus hic noster Barnstorfius, debita observantia & Modestia summos in Arte ambierit honores. Admissus, ab Amplissima Facultate Medica, ad examen, prost vocant, rigorosum, talem se exhibuit, qui dignus judicaretur Examine publico subeundo. Scriptit hoc fine Disputationem aliquam Inauguralem, & prolixam satis, DE MORBO VIRGINEO: exhibuit eam, jamq; jam ad publice defendendum sese offert. Postquam autem ex re sit non Facultatis tantum nostræ, sed & Totius Academiae, ac præprimis Civitatis Patriæ, ægrorumq; multorum, exactius novisse, quid imposterum de hoc nostro Candidato habeamus sperare: lccirco est, quod MAGNIFICUM Dn. RECTOREM, UNIVERSUM UNIVERSITATIS, CIVITATIS, REVER. deniq; MINISTERII SENATUM AMPLISSIMUM, & quoscunq; LITERATOS & LITERATORUM, ARTIS præprimis MEDICÆ FAUTORES & CULTORES hæc mœnia cingunt, uti ad diem XV. Sept. ab aurora ad vesperam, in Acroterio majori, Honorifica sua præsentia acta hunc disputationi solemnorem reddere, placidaq; insuper ac erudita collatione in Profectus Candidati nostri haud gravatim inquirere, ipsiq; FELICITER! acclamare velint, meo, & Facultatis meæ nomine, Publico hoc Programmate officiose & solemniter invito. P. P. sub sigillo  
Facultatis d. IV. Septemb M. DC. LXX



Nobiliss. D. SYLVIO, Practicum quoddam, in  
explicabat, & adhuc aliud practicum, in  
Ægrotis morbos, eorum causas, & curatione  
HORNE Collegium Chirurgicum & Anatomi-  
partes, earum situs, connexiones, & omnia  
demonstrabantur. Sub Clariss. MARCHGR  
dies noctesq; in operando suimus continui:  
stitutionum. Tribus præterea interesse mibi  
Excell: Dn. VAN HORNE: & una, & Dn SYLVI  
tum lucis hauserim, describere supersedeo.  
dem commoratus, fluctibus me commisi; qui  
Londini ad quorundam Naturæ & Curiæ orun  
tionem Regiam, quando Rex per impositione  
rum adjunctionem Scophulas curat: ex quibu  
dundasse, grata semper mente recolo. Perlu  
ni locus varius, & præprimis Academiâ Oxon  
varia Galliæ loca & quidem satu celebria  
rum adii, Nosocomia ægrotu referta, cum  
due frequentavi, variasq; operationes Chir  
quibus non parum commodi cepi. Ab hinc in  
celebrioribus Germaniæ Academiis, Strasb  
densi, Jenensi, & Lipsiensi, soipes & incolum  
versus, adhuc subsisto.

Sed vero, semestre forte est, quando d  
observantia & Modestia summos in Arte am  
sima Facultate Medica, ad examen, proat  
buit, qui dignus judicaretur. Examine pu  
ne Disputationem aliquam Inauguralen  
BO VIRGINEO: exhibuit eam, jamq; jam  
Postquam autem ex re sit non Facultatis tan  
mia, ac præprimis Civitatis Patriæ, ægrot  
quid imposter de hoc nostro Candidato  
MAGNIFICUM Dn. RECTOREM, UNIV  
TATIS, REVER. deniq; MINISTERII SE  
cung; LITERATOS & LITERATORUM,  
TORES & CULTORES hæc moenia cingu  
ad vesperam, in Acroaterio majori, Honorit  
toriū solemniorē reddere, placidaq; insup  
Candidati nostri haud gravatim inquirere, i  
meo, & Facultatis meæ nomine, I  
officiose & solemniter invi  
Facultatis d. IV. Septem





mea sollicitus fuit, ut cum verâ pietate in huius  
 diligentissime informarer. Quare Dno.  
 BRÜGIO tunc temporis Phil. & Theol. Studi  
 Bölicensi vigilantisimo informandum me  
 institutione per aliquot annos etiam usus fu  
 credidit VIRO Plur. Reverendo, Amplissim  
 DN. MICHAELI COBABO, S.S. Theol. D  
 famigeratissimo, Patrono meo summopere o  
 temporis desiderabatur, supplevit, & tandem  
 micam me maturum judicavit. Missus ei  
 Academiam Wittebergensem: publicas pri  
 rum Dominorum Medicorum, in primis SE  
 DERI, & STRAUCHII, nec non clarissim  
 NOHTNAGELII, ZIEGRA, & WALTHE  
 cum fructu audivi. Duas itiaem Disputa  
 ram, de Occultis Qualitatibus, Anno 1665.  
 SPARIS Schönen: alteram de Filis M  
 mentis Mariae dictis, Anno 1666. sub Preside  
 KIRCHMAJERI, publicè Respondendo defes  
 excedit, ibidem feliciter transacto, in banc  
 reversus, studio Medico præprimis operam  
 via Nobilissimorum ac Excellentissimorum  
 corum D. BACMEISTERI, D. WIRDIGHI,  
 tam publica, quam privata magna assiduit  
 sedulus fui auditor istius, in Collegio Practici  
 lius, in Collegio Institutionum: Hujus, a  
 Practico, & Aphorismorum, Hippocratis  
 quam hic per annum & sex menses substitu  
 tavi: in quâ Illustris Academias, Grönin  
 genianam visitavi, & Leydensem tandem pr  
 maximè celebres Medicos STLVUM,  
 MARCHGRAFIUM, commorandi ergo se  
 cis illorum & privatis semper vacavi, illa  
 dum & informandum commisi. Hinc Co



primum  
 DEL-  
 Pastori  
 us fidelis  
 me icon-  
 ntissimo  
 bl. longe  
 uod tum  
 Acade-  
 64. in  
 ilissimo-  
 CHNEI-  
 phorum  
 magno  
 is, alte-  
 M. CA-  
 go Fila-  
 ASTIANI  
 , & quod  
 Patriam  
 m, Colle-  
 im Medi-  
 I varia  
 avi, &  
 ico: Il-  
 meictico-  
 . Post-  
 iam visi-  
 s Ultraje-  
 signes &  
 R.N.E., &  
 bus publi-  
 erudien-  
 varia sub  
 Nobilitate